DISSERTATIO

DE

CALCARIAE CHLORINICAE

NATURA ET USU MEDICO,

QUAM CONSENTIENTE

GRATIOSO MEDICORUM ORDINE

PRO VENIA DOCENDI,

DIE XII M. FEBRUARII A. MDCCCXXXI

PUBLICE DEFENDET

EDUARDUS ADOLPHUS GRAEFE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR, COHORTIS PRAETORIANAE BORUSSICAE MEDICUS SUPREMUS, MEDICUS PRACTICUS APUD BEROLINENSES, SODALIS ORDINARIUS SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE BEROLINENSIS, SOCIETATIS SCIENTIARUM PHYSICARUM ET MEDICARUM AD RHENUM INFERIOREM, ET CAESAREAE SOCIETATIS MEDICORUM VILNENSIS SODALIS EXTRANEUS.

OPPONENTIBUS:

H. S. MICHAELIS, UTRIUSQUE MEDIC. DRE.
J. HERZBERG. UTRIUSQUE MEDIC. DRE.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

PROOEMIUM.

Nostra aetate multa quidem, quae aut natura gignit aut arte conficiuntur, nonnunquam et certis quibusdam morbis medicamentorum loco adhibita fortasse aliquo casu, opinor, vim salubrem habuerunt, atque maxime commendata et concelebrata sunt: postea vero, quum caute examinata essent, ea hac laude indigna esse probe est intellectum. Minime tamen in horum medicamentorum numerum referenda est *calcaria chlorinica.* Multis modis a viris excellentissimis examinata et adhibita iure meritoque nunc inter medicamenta probatissima locum obtinet: attamen ejus usus in morbis quibusdam, quibus ego cum compluribus aliis eam adhibui effectumque optatissimum expertus sum nondum satis notus esse videtur. Et hanc ob causam et propterea, quod fortasse

non omnes formae, in quas hucusque medicorum iussu calcaria chlorinica redacta est, satis innotuerunt, de ea in commentatione, quae pro venia docendi mihi conscribenda erat, disserere in animum induxi.

Brevissime ejus historia exposita, ad rationem, qua conficitur, transgressus sum, deinde de chemica ejus natura, quatenus ad usum ejus in medicina pertinere videtur, egi, tum ad vim ejus et efficaciam veni, denique enumeratis modis, quibus, quod sciam, cum aliis medicamentis miscetur, exposui de morbis, quibus cum aegrotorum commodo est adhibita.

Consilium, quod hanc dissertationem conscribens secutus sum, non fuit hoc, ut doctrinam eruditionemque ostentarem, sed illud, ut iis, qui medicinam exercent, prodessem. Quod si me assecutum cognovero, maximopere gaudebo.

§. 1.

Paucae tantum, opinor, earum rerum quae chemicorum arte confectae nuper ut medicamenta commendatae sunt, tantopere medicorum animos ad se converterunt, quantopere calcaria chlorinica. Primum ea anno 1793 a *Pucy* prospero cum successu ulceribus gangraenosis adhibita est. Deinde anno 1798 a *Tennant* et *Maintosch* Glasguae confecta est et nomen *Tennantiani pulveris (Poudre de Tennant)* ad candorem linteis conciliandum apti accepit. Usurpata est et ad lintea candida reddenda et ad res albo colore depingendas, post modo vero etiam ad spiritum frumenti emendandum. Duobus superioribus demum decenniis inter medicamenta ei locus est assignatus.

Sestroem (conf. liber *Stratinghi*, quem infra commemorabo) primus calcariam chlorinicam cum kali sulphurico mixtam, quae ad fumigandum in morbis contagiosis apta esset, com-

1

mendavit et *Labarraque* Parisiensis (cujus librum infra laudabo) optimum hoc esse remedium antimiasmaticum usu vidit comprobatum. Ab hoc inde tempore calcaria chlorinica variis cum rebus mixta crebrius pro medicamento uti coeperunt.

§. 2.

Calcaria chlorinica nihil aliud est, nisi saturatio calcariae ustae per gas chlori. Teste *Berzelio* natura ipsa eam solutam in aqua marina atque in ea, qua nec kali carbonicum nec natron continetur, aqua fontana nobis offert. Appellatur nominibus, quae statim afferam, quorum tamen nonnulla parum apta mihi videntur. Sunt haecce: Oxychloruretum Calcii, Protoxychloruretum Calcii, Chloruretum oxydi Calcii, Bichloruretum Calcis, Oxymurias Calcis, Calcaria chlorinica, Calx oxymuriatica, Chloruretum s. Chlorum Calcariae, Chloras s. Subchloras Calcis; Germ. Oxydirt salzsaurer Kalk, Chlorkalk; Gallic. Poudre de Tennant, Chlorure de chaux.

§. 3.

Quod attinet ad rationes, quibus confici potest calcaria chlorinica, multae praescribuntur. Ego vero tantum mentionem faciam, quae maxime in usu sunt quorumque accuratior

descriptio invenitur in scriptis *Stratinghi* [1]), *Trommsdorfii* [2]), *Pfaffii* [3]), *Brandesii* [4]), *Labarraqui* [5]), in Diario chemico (Journal de chimie) [6]) et in aliis nostrae aetatis ephemeridibus, quae in hujus libelli posteriori parte commemorabuntur.

Niemann [7]), *van Mons* [8]) et Pharmacopoea Suecica calcariam chlorinicam hac ratione conficiendam esse praecipiunt:

Rcp. Salis communis partes iv.
Manganesii oxydati nigri
partem unam et dimidiam.
Acidi sulphurici partes tres
Aqua fontanae partes sex.

Mixta destillent in retorta vitrea, balneo aquae imposita; gas prodiens lagena, quae aquae

---

[1]) *Stratingh*, die Chlorverbindungen in ihren chemischen, fabrikmäſsigen, medicinischen und ökonomischen Beziehungen betrachtet. Mit 5 Steindrucktafeln. Gröningen bei *Oomkens* 1827. Aus dem Holländischen übersetzt von *Kaiser*. Ilmenau 1829.

[2]) *Trommsdorf*, Journal Tom. VII, 1. pag. 145.

[3]) *Pfaff*, System der Materia medica.

[4]) *Brandes* Archiv Tom. XIV. pag. 236.

[5]) *Labarraque*. Note sur la préparation des Chlorures desinfectans. Lue à la société de Chimie médicale le 13 Mars 1826. Im Journ. de Chim. médic. Mars 1826.

[6]) Journal de Chimie. Avril 1826. Note sur la préparation de chlorure de chaux destiné au blanchiment et à la desinfection. Par *Chevallier*.

[7]) *Niemann's* Zusätze zur Pharmacop. Batav. Lpz. 1811.

[8]) *van Mons* Pharmacopoe usuelle, theoretique et pratique. Louvain 1821.

partes sexaginta duas et calcis vivae duas continet, excipe, solutionem cola et in lagenis smiri obturatis serva.

Simile praeceptum de re, de qua hic agitur, conficienda traditur in codice medicamentario s. Pharmacopoea Gallica, quam *Fée* 1826, et *Ratier* et *Henry* 1828 ediderunt. Est autem hocce:

Rcp. Calcis extinctae partes duas
Acidi muriatici (22°)
partes quatuor
Mangani oxydati nigri
partem unam et dimidiam.

Chlorum, quod evolvitur in aquae pauxillum, ut ab acido muriatico liberetur, transmitte; tunc in fundum infundibuli vitrei obverse in vas calce cribrata et leviter humefacta impletum positi, ingere, et productum in lagenis serva.

Simplicissimam rationem, qua Calcaria chlorinica confici potest, quamquam eandem in Hassica et Florentina Pharmacopoea (edit. Taddei 1826) commendatum reperimus, ex recentissima Pharmacopoea Borussica cognoscimus. Est haec:

„Calcaria usta eadem aquae communis adspergatur, ita ut in pulverem fatiscat. Pulvis in vas vitreum cylindricum ingeratur, gas chlori extricetur, et per tubulum intra calcariam ustam conducatur, quamdiu ab hac absorbetur. Pulvis exemptus in vase bene clauso servetur."

§. 4.

Hic pulvis est albus, paullum redolet chlorum, salsi et amari est saporis, aëri expositus facile madescit et in aqua solvi potest [1]). Liquor inde ortus est flavus, acido aliquo admixto omnis generis plantis colorem inducit, emendat spiritum vini adustum, dissipat et delet miasmata omnesque foetidos odores. Chlorum in eo quum hydrato calcariae non arcte sit adiunctum, inde per acidum levissimum expelli potest, ita ut postea ut liberum chlorum appareat. Hinc fit ut calcaria chlorinica facile ex atmosphaera acidum carbonicum attrahat et gas chlori gignat. Solutio calcariae chlorinicae nec per gasia oxygenica, nec carbonica nec hydrogenica nec per carbones ligni ullo modo mutatur. Jodum hac solutione in acidum jodinicum immutatur; res enim quaedam, quae ex hoc acido et calcaria

---

[1]) Chemicam calcariae chlorinicae naturam eatenus tantum hic exposui, quatenus ad medicinam pertinere videri potest. Qui accuratius hanc rem cognoscere volet, uberiorem de ea expositionem inveniet, ut praetercam libros chemicos *Berzelii, Mitscherlichii, Schubarti*, aliorum, his in scriptis: Repertorium für Pharmacie, Tom. XXI. p. 131. — Tom. XXVI. p, 467. — Tom, XXIX. p. 74. — A. *Morin* Annales de Chimie et de Physique. Tom. XXXIII. et XXXVII. — *Dingler* polytechnisches Journal, Tom. XXVI. et XXIX. — *Bergener*. Comparatio aequalis et diversae, qua excellunt Chlorium, Bromium et Jodium naturae chemicae et therapeuticae. Dissertatio inauguralis medica. Berolini 1830.

jodinico-chlorinica constat, in imo praecipitatur. Phosphorus, zincum, hydrargyrum, ferrum in ea manent oxydata: quod contra aurum, stannum, argentum, cuprum omnino non mutari videntur. Hydrogenium sulphuricum cum calcaria chlorinica conjunctum gignit non solum calcariam sulphuricam et muriaticam, verum etiam gas hydrogenico-phosphoricum, acidum phosphoricum et calcariam muriaticam. Ammoniacum causticum cum solutione calcariae chlorinicae iunctum efficit secretionem quandam; prodit enim gas azoticum. Kali causticum et natron comprehendunt chlorum, et hydratum calcariae ut oriatur efficiunt. Oxydum chromi aqua vacuum non facile se corripi et affici patitur. Salia metallina, quae cum calcaria chlorinica non aliter coeunt, nisi ut aut omnino non aut difficile tantum solvi queant, cum solutione calcariae chlorinicae miscentur, duplice affinitate electiva secernuntur, etc.

§. 5.

Vis calcariae chlorinicae, qua valet ad evaporationes foetidas dissipandas per varia *Gaultieri*, de *Chaubryi* et d'*Arceti* [1]) experimenta satis est explicata et illustrata. Iis probatur, calcariam chlorinicam (aeque atque alias

---

[1]) Annales de Chimie et de Physique. Tom. XXXIII.

chlori conjunctiones) aëri expositam acidum carbonicum recipere et chlorum gignere (id quod jam supra dixi): quae secretio sensim ac paullatim eo usque progreditur, ut postremo solum carbonatum remaneat. Acido carbonico quod in aëre inest vel e secretione substantiarum animalium ortum est, chlorum ex conjunctione sua tarde tantum expellitur; ex quo fit, ut haec res animali oeconomiae nullum inferat detrimentum. Id ipsum potest haberi pro vera fumigatione chlorinica, quae minorem quidem vim habet, sed diutius durat, quam ea, quae proprie sic dicitur.

§. 6.

Ex natura et viribus calcariae chlorinicae, quas modo attuli, in universum potest colligi, eam excellens esse remedium antimiasmaticum et antisepticum optimeque adhiberi posse ad aerem purgandum in nosocomiis, quae quum multis aegrotis, tum maxime talibus referta sunt, in quorum morbis humorum mixtio turbatur et solvitur vel putrificatio quaedam locum habet (cuius modi sunt cholera morbus, exanthemata chronica etc.), nominatim vero etiam in nosocomiis castrensibus, vulneratorum plenissimis, in parvulorum foras expositorum receptaculis, in carceribus, in aedificiis, quibus recipi solent, qui, ne lues vel pestis latius serperet, extra cer-

tos quosdam fines remanere iussi, revera lue illa sunt correpti, in navium fundis etc.

Internis morbis calcaria chlorinica sane nondum saepe est adhibita. Adhibenda autem fuerit iis istiusmodi morbis, quibus mixtio humorum turbatur vel inclinatio quaedam ad putrificationem apparet. Itaque ea usi sunt in typhis, in pestilentia, in morbo scrophuloso, in gonorrhoea syphilitica etc., ejusque usum his in morbis commendaverunt.

Quum calcariae chlorinicae hoc sit proprium, ut acida attrahat, videatur eadem haberi posse pro remedio absorbente.

Contra *externis morbis* calcaria chlorinica iam saepius est adhibita et quidem iis, in quibus asthenia sive maior sive minor vel inclinatio vehementior ad humorum perturbationem et confusionem reperitur, maxime vero iis, in quibus secretiones profusae locum habent et nominatim membranae mucosae laborant. Vide quae infra disputabuntur.

§. 7.

Venio nunc *ad rationem*, qua calcaria chlorinica adhibetur.

A. Ubi remedium est aeris purgandi, antimiasmaticum et antisepticum, adhibetur:

1) *Ut res sicca.* Auctore *Massuyero* Argentoratensi calcaria chlorinica sicca in pulve-

risque formam redacta inter lectos aegrotorum, in cadavera etc., spargitur.

2) *Ut res liquida.* Calcaria chlorinica in aqua solvitur. A *Labarraquio* [1]) iubemur unam calcariae chlorinicae partem in ducentis aquae partibus solvere solutaque adspergere aegrotorum conclavia.

Stahlius, clarissimus ille pharmacopoeus Augustanus, commendat mixturam muriatis calcariae oxygenati et sulphatis lixiviae aciduli, quae optime adhiberi possit ad fumigandum aëris purgandi caussa. Utriusque medicamenti quantum capit cochlear pusillum, quali in coffeae potu bibendo uti solemus, sumitur. Haec portio in vas vitreum ingeritur, tantum aquae calidae superinfunditur, ut massa cataplasmatis fiat, et haec mixtura subinde versatur fenestris et foribus clausis. *Wetzler* hanc mixturam plurimum valere ad aërem purgandum confirmat [2]). Et ad id ipsum efficiendum et ad putredinem arcendam depellendamque *Bories* [3]) quatuor uncias calcariae muriaticae iubet solvi in duabus libris aquae et huic mixturae duas uncias acidi sulphurici addi.

---

[1]) Journal de Pharmacie, pag. 435.

[2]) *Wetzler*, über den Nutzen und Gebrauch des nach der Vorschrift des Herrn Apotheker *v. Stahl* entwickelten, oxydirt-salzsauren Gases zur Reinigung der Luft etc. Augsb. 1824.

[3]) *Hänle*, Magazin. Tom. III.

§. 8.

B. Ubi calcaria chlorinica est remedium *morborum internorum.*

Lagunculae calcaria chlorinica vel sicca vel in aqua soluta implentur iisque nares saepius admovere iubentur, qui in aedificiis, ubi curantur pestilentia laborantes, versari solent.

In *pulveris* formam redacta nondum, quod sciam, aegrotis est data.

Morbis internis ut res liquida tantum adhibetur. Variae, quae hic usitatae sunt compositiones, infra laudabuntur.

Denique calcaria chlorinica etiam in rotularum formam redacta aegrotis dari solet.

§. 9.

C. Ubi calcaria chlorinica est *remedium morborum externorum.*

Hucusque calcaria chlorinica ut verum remedium creberrime externis morbis est adhibita idque, ut videbimus, ita ut modo forma pulveris, modo solutionis, modo linimenti vel unguenti, modo collyrii vel tincturae eligeretur. Francogalli multa medicamenta composuerunt quae *Antiozäiniques* vocant quaeque ad foetidos ex ore prodeuntes odores removendos, ad dentes purgandos etc., adhiberi volunt. Ea maximam partem ex calcaria chlorinica constant.

§. 10.

Priusquam ad singula rationis, qua calcaria chlorinica adhibetur, genera transeam, non alienum videtur ejus compositiones mihi cognitas afferre, quae, quum morbos, adversus quos in calcaria chlorinica auxilium est, enumerabo, lectoribus respiciendae erunt.

1. *Liquor calcariae chlorinicae.*

Rationes, quibus hic liquor fit (appellatur autem etiam sic: liquor calcis oxymuriaticae, liquor antimiasmaticus *Labarraqui*, subchloretum calcis liquidum) sunt, si copia rerum mixtarum respicitur, diversissimae. Secundum codicem medicamentarium Gallicum (Parisiis 1818) constat ex una parte calcariae chlorinicae et decem partibus aquae communis.

Rcp. Oxychloruret. calc. solid. partem unam.
Solve in mortar. addendo sensim
Aquae purae partes decem.
Postquam subsederit, filtra.

Pierquin [1]) unam calcariae chlorinicae partem addit ad viginti vel triginta partes aquae; Hassica pharmacopoea unam calcariae chlorinicae partem ad sex partes aquae.

Kopp [2]) jubet gas muriaticum transmitti

---

[1]) Mémorial pharmaceutique. Montpellier 1824.

[2]) Allgemeine medizinische Annalen. 1821. p. 884.

per lac calcariae, donec aliquid percolati liquoris specificum pondus 1,025 indicet.

2. *Solutio antipsorica cum chlorureto calcariae* Derheimii.

Rcp. Chloruret. calcis ℥iij.
Aquae destillat. ℥xiij.
Solve et filtra.

3. *Solutio chlorureti calcis alcoholisata dentrifica* Chevallieri [1].

Rcp. Chloruret. sicc. ʒij.
Aquae destillat. ℥ij.

Chloruret. tere in mortar. vitreo cum pistillo vitreo, adde partem aquae, sepone, decantha liquorem clarificatum, adde novam aquam tritura, sepone et tertio cum aqua reliqua ablue, decantha, liquores decanthatos commisce, filtra et adde

Alcoholis (36°) ℥ij.
Olei essentialis cujuslibet aliquot guttas.

4. *Solutio calcariae chlorinicae antiscrophulosa interna* Cimae [2].

Rcp. Calcar. chlorinic. ℈j — ʒj.
Aquae destillat. ℥vij.
Syrup. simplic. ℥j.
m. d. s.
Secunda vel tertia hora cochlearia duo vel tria.

---

[1]) Journal de chimie médicale Octbr. 1827.

[2]) Giornale di fisica chemica, storia naturale, medicina, ed arti. Dei Professor. *P. Configliachi* et *G. Brugnatelli*,

5. *Solutio calcariae chlorinicae antiscrophulosa externa* Cimae [1]).

Rcp. Calcar. chlorinic. ʒß.
solve in
Aquae destillat. ℥iv.
m.

6. *Collyrium ophthalmicum ex calcaria chlorinica* Farvagnité [2]).

Rcp. Aquae rosar. ℥ij.
Chloruret. calc. gr. iv — vj.
Laudan. liquid. *Sydenh.* ℈ß.
Mucilagin. Gummi arabic. ʒiß.
Filtra per chartam d.

7. *Collyrium ophthalmicum ex calcaria chlorinica* Varlezi [3]).

Rcp. Aquae destillat. ℥iv.
Chloruret. calc. liquid. gutt. xv.
m.

Herzberg [4]) offert similem mixturam, quae

---

terzo bisemestre. Pavia 1825. et *de Gräfe* et *de Walther* Journ. f. Chirurg. u. Augenheilk. Tom. XIV. pag. 618.

[1]) *Wenzel,* Recept-Taschenbuch für das Gebiet der Kinderkrankheiten, Erlangen 1830. Tom. II. pag. 188.

[2]) *Farvagnité,* Beobachtungeu über die Anwendung der Chlor-Verbindungen. In den Verhandlungen der vereinigten ärztlichen Gesellschaft der Schweiz. Jahrgang 1829. pars secunda. pag. 232.

[3]) *Froriep* Notizen Tom. XIX. No. 15. 1828.

[4]) *de Gräfe* et *de Walther* l. c. Tom. XIV. pag. 618.

eo tantum differt, quod plus calcariae chlorinicae continet:

Rcp. Calcariae oxymuriatic. ʒß.
Aquae destillat. ℥vj.
m.

8. *Collutorium antiscorbuticum Pharmacopoeae Suecicae* (1817).

Compositio huius remedii, quod idem nominatur Looch, Linctus ad Stomacacen, Linctus oxymuriatis calcici, est haecce:

Rcp. Solution. oxychloruret. calcis ʒß.
Aquae fontan.
Mellis āā ʒvj.
m.

Eandem viam hoc in collutorio componendo iniri vult *van Mons* in libro qui inscribitur: Pharmacopoe usuelle (1821).

9. *Linctus calcariae chlorinicae* Angelotii [1]).

Rcp. Calcar. chlorinic. gr. xv — ʒß.
Mucilagin. Gummi arabic. ℥j.
Syrup. cortic. aurant. ℥ß.
s.

---

[1]) Observations sur l'emploi du chlorure de chaux dans le traitement des ulcérations de la bouche. In Revue médic. etc. Avril 1827. pag. 49.

10. *Linimentum resolvens* Swediaueri [1]).

Rcp. Oxychloruret. calcis ℥j.
Fell. tauri ad quartam partem inspissat. ℥iij.
m. d.

11. *Linimentum antiherpeticum* Wenzelii [2]).

Rcp. Calcariae chlorinic. ʒj.
Olei lini ʒx.
m. d.

12. *Linimentum antiherpeticum* Koppii [3]).

Rcp. Liquor calcar. oxymuriatic. ʒiij — ʒv.
Olei olivar. ʒvjj.
m. d.

13. *Unguentum antiherpeticum* Cimae [4]).

Rcp. Calcar. oxymuriatic. ℈j — ʒj.
Adip. suill. ℥j.
m. d.

14. *Unguentum antiherpeticum* Wenzelii [5]).

Rcp. Calcar. chlorinic. ʒj.
Axungiae porci ʒx.
m. d.

---

[1]) *Swediauer*, Pharmacopoea medici practici universalis. 1817.

[2]) *Wenzel* l. c. pag. 311.

[3]) Allgemeine medic. Annalen 1828. pag. 884. et medic. chirurg. Zeitung. 1821. Tom. III. p. 400.

[4]) Giornale de fisica etc. l. c.

[5]) *Wenzel.* l. c.

15. *Pomatum antiherpeticum* Chevallieri [1]).

Rcp. Oxychloruret. calcis ʒvj.
Turpeth. mineral. ʒij.
Olei amygdalar. dulc. ʒvj.
Axungiae porci ʒij.
commisce intime.

16. *Pulvis antisyphiliticus* Knoxii [2]).

Rcp. Calc. commun. pulverat. partes octo.
Oxychloruret. calc. partes tres.
m. d.

17. *Pulvis dentrificus* Deschamps [3]).

Rcp. Chloruret. calcis sicci gr. iv.
Corallor. rubror. pulverisator. ʒij.
m.

18. *Trochisci chlorureti calcis pro desinfectione halitus* Chevallieri [4]).

Rcp. Chloruret. calcis ʒvij.
Sacchar. vanillat ʒiij.
Gummi arabic. ʒv.
m. f. Trochisci granor. xv — xviij.

Altera compositio horum trochiscorum haecce:

Rcp.

---

[1]) Journal de chimie médic. Octbr. 1827.
[2]) *Cadet de Gassicourt* formulaire magistral. Paris 1823.
[3]) Journ. de Chimie. Janvier 1828. p. 28.
[4]) l. c. Octbr. 1827.

Rcp. Chloruret. calcis sicc. gr. xxv.
Infunde sensim aquam ad solutionem necessariam, sepone, decantha et filtra et cum
Sacchar. pulverisat. Uncia una
Gummi tragacanthae drachmis duabus
et illius solutionis s. q. fiat pasta ex qua formentur trochisci granor. xviij — xx, et oleum volatile quodlibet addatur.

19. *Trochisci cum chlorureto calcis* Deschamps [1]).

Rcp. Chloruret. calc. sicc. ʒij.
Sacchar. ℥viij.
Amyli ℥j.
Gummi tragacanth. ʒj.
Carmin. gr. iij.
Fiant trochisci granor. trium.

§. 11.

Singula genera quibus adhibenda est calcaria chlorinica.

Inter rationes, quibus licet ad usum convertere calcariam chlorinicam, summa et gravissima ea est, qua adhibetur ad aërem purgandum et ad miasmata avertenda. Jam a *Stahlio* a. 1814, ut supra dixi, ita est adhibita. *Labarraque* [2]) eum, quem ipse invenit liquorem commendat iis, qui in theatris anatomicis aërem purgatum volunt, iubetque ea pariter ac

---

[1]) Journal de chimie Janvier 1828.

[2]) Bulletin de la societé médicale d'émulation. Decbr. 1822. — *de Gräfe* et *de Walther* l. c. Tom. VII. p. 166.

cadavera illo adspergi. Auctor idem est, ut ad conservanda praeparata anatomica adhibeatur [1]. Vult autem pannos illo liquore tingi iisque cadavera tegi. Porro idem vir doctus suadet, ut calcaria chlorinica utare ad purgandas latrinas, cloacas etc. et liquore ex ea facto ad purgandas fascias, quae, postquam in solutione calcariae chlorinicae satis diu iacuerint, pura aqua perluantur. — Huc accedit, quod calcaria chlorinica in numero earum est rerum, quae plurimum possunt ad aquam corruptam emendandam. Exigua eius portio istiusmodi aquae ingesta adimit ei tetrum odorem et saporem [2].

Calcariae chlorinicae solutionem *Stratingh* [3] et *Bories* [4] etiam hoc nomine laudaverunt, quod et ad lavandum et ad contagionem, si qua metuenda esset in aedificiis, in quibus pestilentia laborantes curantur, avertendam maxime esset idonea. Hic, *Boriesium* dico, iis, qui ita ea uti volent, commendat mixturam unciarum quatuor calcariae chlorinicae et duarum aquae eos-

---

[1]) *Labarraque* de l'emploi de chlorure d'oxyde de sodium et de chaux. Paris 1825. — Gazette officielle du 20. Fevrier 1825. — *de Gräfe* et *de Walther*. l. c. Tom. VIII. pag. 630.

[2]) *Labarraque* de l'emploi de chlorure etc. — *de Gräfe* et *de Walther* l. c. Tom. VIII. p. 635.

[3]) *Stratingh* l. c.

[4]) *Hänle*, Magazin. T. 3.

que iubet mane et vesperi totum corpus ea lavare, lectos, sellas, stragula omniaque lintea ad lectum pertinentia ea adspergere et praeterea lagenis calcaria chlorinica repletis subinde nares admovere. — Eadem ratione ad aërem purgandum in navium fundis, in receptaculis parvulorum foras expositorum, in carceribus etc. adhiberi potest.

Fincham[1]) utebatur calcaria chlorinica ad vapores pestilentes, qui in fodinis carbonum fossilium oriri solent, dispellendos. Eam tum spargendam esse patet.

Praeter *Labarraquium*, *Stahlium*, *Wetzlerum*, *Stratinghium*, *Boriesium* calcariae chlorinicae ut remedio aërem optime purganti etc., maximas laudes tribuunt *Bilroth*[2]), *Kastner*[3]), *Geiger*[4]) etc.

Utilissimas hac de re disputationes, si discesseris ab iis, quas a viris supra laudatis scriptas iam commemoravi, invenies in *Henckii* libro, qui inscribitur: Zeitschrift für die Staatsarzneykunde, A. 1826 fascicul. I. p. 239. His adnumerari potest *Hueneckii* dissertatio de chlori usu medico. Berolin. 1826 quanquam in ea calcariae chlorinicae paucissimis tantummodo fit

[1]) Journal de pharmacie Octbr. 1827.

[2]) *Rust*, Magazin. Tom. XIX. fasc. 2. pag. 226.

[3]) *Kastner*, Archiv. Tom. VIII. St. 2.

[4]) *Geiger*, Magazin Octbr. 1825. p, 88.

mentio. Praeterea huc pertinet liber: Instruction du conseil de Salubreté sur la construction des latrinis publiques et sur l'assaignement des latrines et des fosses d'aisance. Imprimé par ordre du conseil de la societé royale des prisons. Paris 1825 avec 4 planches.

§. 12.

De *efficacia* calcariae chlorinicae ut *veri medicamenti* iam multa usu et experimentis sunt cognita atque suspicari licet mox fore ut etiam multo latius usus huius remedii in medicina pateat. Singulos morbos, in quibus calcariam chlorinicam vim habere saluberrimam vel usus iam comprobavit vel viri docti contenderunt, nunc afferre mihi in animo est.

1) In *typho nosocomiali* et *navali.*

Stratingh (l. c.) excellens remedium hoc esse docet, ut gas chlori per nares ducatur et quasi imbibatur, quod ex calcaria chlorinica oritur et ratione supra exposita ex lagenis emittitur. Sponte autem intelligitur, nec aliorum medicamentorum usum, qui praescribitur, nec purgationem aëris, per calcariam chlorinicam efficiendam, negligi debere.

2) In *pestilentia* et *febri flava* *Boisbertrand*[1]), in *carbunculis pestilentialibus*

---

[1]) Revue medic. T. III. 1826 ot Novembr. 1828.

Biet[1]) usum calcariae chlorinicae commendavit.

3) *Phthisi pulmonum* vexati quibus curandi sunt, iis auctor est *Stratingh* (l. c.), ut gas chlori cum aquae vaporationibus iunctum adhibeant.

4) *In angina membranacea. Chantourelle*[2]) iam per longum temporis spatium liquore *Labarraqui* usus est, non frustra se id fecisse affirmans.

5) *In ophthalmiis.*

In *ophthalmia scrophulosa*, *catarrhali*. *Farvagnité* (l. c.) in his oculorum morbis liquorem a se inventum, quem supra commemoravi, quotidie saepius oculis instillari iussit felicissimamque curationem esse vidit: id quod etiam a *Varlezio* et *Guthrieo*[3]) est animadversum. Viderunt enim hi pariter atque *Herzberg*[4]) in *ophthalmia neonatorum*, *purulenta*, et *syphilitica* calcariam chlorinicam plurimum prodesse. Collyriis autem iis, de quibus iam dixi, his in morbis ita sunt usi, ut et instillarent oculis et ut fomentationes imponerent.

6) *In ulceribus.*

---

[1]) *Stratingh*. l. c.

[2]) *de Gräfe* et *de Walther*. l. c. T. VIII. pag. 641.

[3]) ibid. T. XII. pag. 509.

[4]) ibid. T. XIV. pag.

Calcariae chlorinicae usus in impuris, gangraenosis, cancrosis, venereis, et scrophulosis ulceribus iam ita fama est celebratus, ut, quum ipse hac laude eam dignissimam esse experientia satis doctus sim, eam omnibus medicis, quibus eiusmodi ulcera sananda sunt, velim commendatissimam.

Lisfranc[1]), cui primo in mentem venit calcariam chlorinicam omnino ulceribus adhibere, imponit iis linteum fenestratum, cerato illitum, ut ulcera maneant nuda, et carpia solutione *Labarraqui* tincta tegi possint. Id quod quotidie saepius est repetendum.

Eckl[2]) iubet quindecim grana calcariae chlorinicae cum uncia una aquae misceri eaque solutione saepius ulcera impura, gangraenosa, putrida per plumaceolos irrigari iubet. — *Lemaire*[3]) utitur hanc ad rem solutione unius partis caclariae chlorinicae et trium aquae partium. — *Cloquet*[4]) membra gangraenosis ulceribus obsita solutione unius partis calcariae chlorinicae et decem ad quindecim aquae partium lavari et simul viginti quinque vel triginta guttas liquoris *Labarraqui* in decocta herbarum

---

[1]) *Froriep*, Notizen. T. XVI. pag. 107.

[2]) Allgemeine medic. Annalen. Januar 1826. pag. 107.

[3]) *Froriep* l. c. T. XII. pag. 96.

[4]) Revue médic. Avril 1827.

infusas (ita ut congius, quem *Pinte* vocant, impleatur) ab aegroto bibi vult. — *Heyberg* Suecus [1]) qui Christianae vivit, laudat calcariam chlorinicam ut remedium optimum adversus cancrosa venereaque ulcera.

Wenzelius [2]) illam calcariae chlorinicae mixturam, cuius iam supra mentio est facta, proponit ad ea infantium ulcera sananda, quae aut fistulas gignunt aut syphilitici sunt generis. —

In *Ozaenis Labarraquius* (l. c.) et *Stratinghius* (l. c.) injectiones solutionis calcariae chlorinicae maximam saluberrimamque vim habere cognoverunt.

7) *In fistulis,*

Jam antea de ulceribus agens, usum calcariae chlorinicae in infantium fistulis a *Wenzelio* commendari narravi. *Ricord* [3]), *Lisfranc* [4]), *Mark* [5]) hic vim ejus optatissimam esse viderunt. Ac nominatim quidem *Ricord* ita sanavit fistulam permagnam, ut plumaceolis liquore *Labarraqui* tinctis eam madefaceret, injectionibus huius solutionis adiunctis. *Lisfranc* (l. c.) medicamento sanavit fistulas cum iactura substantiae iunctas.

---

[1]) In Eyr. T. III. fascic. 2.

[2]) *Wenzel.* l. c.

[3]) Revue médicale. Janvier 1826.

[4]) ibid. T. I. 1827.

[5]) ibid. Janvier 1826.

8) *In congelationibus.*

Calcaria chlorinica hic omnibus aliis remediis, quae proponuntur, est praeferenda. Quum multi alii, tum *Ricord* [1]), *Lisfranc* [2]) et *Heiberg* [3]) eius vim praestantissimam his in malis saepius cognoverunt. Si nondum ulcera sunt exorta necdum omnino multum temporis abiit ex quo membrum aliquod corporis frigore est laesum, ei saepius fomentationes solutionis calcariae chlorinicae induntur, quae, quo magis dolor minuitur, eo maiore saturatione adhibendae sunt. Sed si iam ulcera aperta sunt, ratione illa supra exposita linteus fenestratus cerato illitus iis imponitur et tum calcaria chlorinica adhibetur.

9) *In ambustionibus.*

Pro natura corporis laesi solutio calcariae chlorinicae est temperanda. *Eckl* (l. c.), *Godfroy* [4]), *Lisfranc* [5]), *Heiberg* (l. c.) eius usum mirum quantum collaudant. Membrum autem ambustum fomentationibus solutionis illius obtegatur, epidermide nondum dissoluta: id vero

---

[1]) Revue médicale Fevrier 1826.

[2]) ibid. Avril 1826. — *de Gräfe* et *de Walther*. l. c. T. IX. pag. 681.

[3]) ibid.

[4]) Revue médicale. Juin 1826.

[5]) Archives generales de médecine T. IX. pag. 138 et 140. — *de Gräfe* et *de Walther* l. c. T. IX. pag. 677.

ubi factum est, obligetur eodem medicamento adhibito, ut fit in apertis ulceribus.

10) *In gangraena, sphacelo, et gangraena nosocomiali.*

Jam *Pucy*[1]) calcaria chlorinica A. 1793 adversus gangraenam nosocomialem prosperrimo cum successu usus erat. Nuper idem saepius fecerunt *Clocquet*[2]), *Eckl* (l. c.), *Lisfranc*[3]), *Heiberg* (l. c.) fomentationibus utentes. Nominatim *Heiberg* liquorem *Labarraqui* ratione, etiamque liquorem magis concentratum crebro adhibuit. — *Marjolin*[4]), in gangraena amputationes secuta fomentationibus solutionis calcariae chlorinicae adhibitis celeriter gangraenosas a sanis partibus seiungi vidit — Item *Legalas*[5]) huiusmodi fomentationes in gangraena scroti saluberrimam vim habere cognovit.

11) *In scorbuto.*

Hic calcaria chlorinica optime adhibetur ea ratione, qua formam collutorii antiscorbutici *van Monsius* et Pharmacopoea Suecica propositam habent. *Angelot*[6]) solutionem suam et ad

---

1) Revue médieale. Janvier 1826.

2) ibid. Avril 1827.

3) Archives generales l. c.

4) *de Gräfe* et *de Walther* l. c. T. VIII. pag. 639.

5) Journal da chimie 1825. pag. 273. et *de Gräfe* et *de Walther* l. c. T. VIII. pag. 639.

6) Revue médicale. Avril 1827.

scorbutum et ad ulcera labiorum, quae, a scorbuti natura alienissima, singularis sunt generis et milites saepe instar morbi epidemici vexant, sananda proponit, per penicillum labia eâ illini iubens.

12) *In morbo scrophuloso.*

Cima[1]), quod sciam, primus calcariam chlorinicam morbo, quem dixi, adhibuit. Solutionis suae antiscrophulosae internae quantum capiunt duo vel tria cochlearia cibaria secunda vel tertia quaque hora aegrotis praebet, ac simul glandulas tumefactas unguento suo calcariae chlorinicae perungit, et, ubi rubor apparet et purulentatio timenda est, fomentationes sulutionis suae imponit. Facile quidem fit, ut aegrotus dolores, nominatim ventriculi ardorem (Pyrosin) sentiat atque adeo diarrhoea corripiatur; sed mox glandulae lymphaticae ad eam, qua proprie munere suo fungi debent, rationem revertuntur. — *Godier*[2]) iubet unum scrupulum liquoris *Labarraqui* cum tanta aquae portione quantum capit vasculum, quod Galli *Pinte* vocant, misceri, hunc potum quotidie consumi et praeterea humuli lupuli decoctionem bibi.

---

[1]) Giornale di fisica l. c. — *de Gräfe* et *de Walther* l. c. T. XIV. pag. 288. — *Froriep*, Notizen. Octbr. 1825. No. 241. — *Geiger*, Magazin. T. XII. pag, 198.

[2]) Revue médicale Decbr. 1829. — *de Gräfe* et *de Walther* l. c. T. XIV. pag. 288.

13) *In herpete.*

Praeclara sana est vis calcariae chlorinicae in herpeticis exanthematibus. Inprimis hic utendum est pomato antiherpetico *Chevallieri*, quo bis quotidie partes herpete obsitae perungendae sunt; porro linimento *Koppii*, quo partes corporis herpeticae penicilli ope illinuntur. Praeter *Chevallier* et *Kopp* [1]) calcariae chlorinicae usum in herpete laudant *Mark* [2]) et *Biet* [3]).

14) *In tinea capitis.*

Heiberg (l. c.) unam calcariae chlorinicae drachmam aut cum octo unciis aquae misceri eaque solutione compressas, quae dicuntur, rigari et iis, ita ut omnino non siccae fiant, saepius caput tegi, aut cum quattuor unciis adipis iungi et unguento sic facto caput perungi vult.

15) *In scabie.*

Aut solutione antipsorica *Derheimii* corpus lavatur aut compressis mixtura *Heibergii* tinctis subinde tegitur, aut denique unguento ab *Heibergio* proposito perungitur. *Heiberg* hac medendi ratione usus se operam non perdidisse sensit.

16) *In syphili.*

Jam supra ubi de ulceribus agebam, calca-

---

[1]) Allgemeine medic. Annalen 1821. pag. 884. — *Ehrhardt*, medic. chirurg. Zeitung 1821. T. III. pag. 400.

riam nostram chlorinicam in ulceribus syphilitieis sanandis saluberrimam habere vim commemoravi. — Oris ulceribus, quae syphilitici sunt generis, ea sic potest adhiberi, ut aut tinctura *Angeloti* aut collutorio antiscorbutico aut liquore *Labarraqui* utamur. Ac prouti medico placebit concentrata utilissima erit venereis penis ulceribus sanandis; licet vero etiam ea sic uti, ut compressas eius solutione tinctas peni imponas vel ea hoc membrum laves. Pulvis *Knoxii* ratione supra allata compositus, ab hoc ipso viro [1]) commendatus iis, qui impedire volent quominus morbo syphilitico inficiantur. — *Heiberg* (l. c.) item solutionem suam adhibet ulceribus syphiliticis eâque in ulceribus oris et linguae, quae solutiones mercuriales sequi solent, diaclysmatis loco utendum esse praecipit.

Ego calcariae chlorinicae ope saepius eos, qui gonorrhoea laborabant curavi, hac eius mixtura usus:

Rcp. Calcar. chlorinic. ʒj.
Emulsion. amygdalar. ℥viij.
Tinctur. op. simplic. ʒj.
Syrup. emulsiv. ℥j.
m. d. s.
Tertia quaque hora cochlear. unum.

Hoc cum medicamento in gonorrhoea secundaria coniungi iussi iniectiones, ex calcariae

---

[1]) *Cadet de Gassicourt* l. c.

chlorinicae, tincturae opii simplicis ana drachma una et aquae destillatae unciis decem paratas [1]).

17) *In carcinomate uteri.*

Biet [2]) commendat hic iniectiones solutionis calcariae chlorinicae. Ego tamen ita nihil adhuc nisi, ut odor et effluxus magis minusve minuerentur, effici vidi. Experientia igitur docere debebit, quae vis calcariae chlorinicae in carcinomate uteri certo sperari possit.

18) *In carie dentium.*

Regnard [3]) in dentium carie calcaria chlorinica usus est ad os purgandum: destistit autem id facere, quum glandulas salivales ita irritari animadvertisset. Ego id non observavi, immo ad morbum, quem dixi, sanandum uti soleo calcaria illa chlorinica aut ita, ut bombycem eius solutione alcoholisata tinctum denti exeso imponi aut eâ os elui iubeam.

19) *Adversus dentium tartarum et flavum corticem dentibus adhaerescentem.*

Jure meritoque hic commendari potest solutio alcoholisata calcariae chlorinicae et pulvis dentrificus *Deschampii.* Per spongiam vel instrumentum illud spongia instructum, quod Galli dicunt *brosse à éponge*, utrumque medicamentum dentibus admoveatur.

---

[1]) *de Gräfe* et *de Walther.* l. c. T. XIV. pag. 289.

[2]) *Stratingh.* l. c.

[3]) *de Gräfe* et *de Walther.* l. c.

20) *In foetore ex ore prodeunte.*

Utilitatem maximam hic praebent trochisci calcariae chlorinicae, quorum duos tresve is, cuius halitus foetidus est, quotidie sumat. Praeterea diaclysmatis loco utatur solutione alcoholisata eaque maxime diluta.

21) *Adversus rabiem et venena anguina.*

Stratingh (l. c.) proponit solutionem calcariae chlorinicae eaque partem laesam lavari vult.

Chantourelle [1]) calcariam chlorinicam homini, qui hepate sulphuris sumpto perniciosam huius praeparati vim irritam reddi cupiebat, maxime profuisse et periculum omne propulsasse vidit. Jussit autem liquoris *Labarraqui* viginti quinque guttas in poculum vitreum aqua repletum infundi et hoc facto bibi.

Denique *Labarraque* calcariam chlorinicam proponit ad homines vaporibus mephiticis et carbonariis suffocatos in vitam revocandos. Vult autem corpus aeque atque conclave in quo iacet, liquore *Labarraqui* conspergi.

---

[1]) *de Gräfe* et *de Walther.* l. c.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In castratione ligatura exstirpationi praeferenda est.

II.

Signum certum et constans amauroseos non est.

III.

In scirrho mammae partiali, exstirpatio totius mammae partiali exstirpationi praeferenda est.

IV.

In curandis urethrae stricturis, cauterii usus omnino rejiciendus.

ERRATA.

P. 2. lin. ult. *quorum* lege: *quarum*.
» 3 » 14 *Aqua* lege: *Aquae*.
» 4 » 22 *commendatum* lege: *commendatam*.
» 4 » 24 add. *copia*.